

candam status normalis et attentio mentis sufficiunt; alioquin in infinitum eundem esset ac proinde nulla esset certitudo, idemque de certitudine obiectiva et subiectiva dici posset. Illa igitur inquisitio est *conditio manifestans evidentiam*, non autem *constituens*.

15. Atqui tunc mens infallibilis fieret et mensura veritatis, dist.: per se et ex se — nego; participative, subd.: quando adest evidentia — conc.; quando non adest — nego.

16. Atqui homo fieret mensura veritatis et infallibilis per se et semper; nam evidens esse verum, nil aliud significat, nisi: quidquid ego clare video, verum est; quidquid non clare video, verum non est; dist.: quidquid in *obiecto* clare percipio, verum est — conc.; quidquid in me, i. e. mere subiective clare video, verum est — nego.<sup>1)</sup>

Divina cognitio sola est per se infallibilis et est exemplar omnium rerum, resque ideo habent ontologicam veritatem, quia sunt conformes divino intellectui. Sed aliud dicendum est de nostra cognitione. Nos enim non cognoscimus res, nisi in quantum nos determinant, et veritas cognitionis nostrae in eo est, ut sit obiecto conformis, quod eius est mensura et norma; neque alio modo ad Dei cognitionem ascendimus, nisi cognoscendo ideas divinas eiusque perfectiones in rebus creatis tanquam in speculo relucentes.

<sup>1)</sup> Ad difficultates 12—16 cfr. Th. Isenkrahe, Phil. Jahrb. 1897, p. 439.

## (Pars secunda: Ideologia.

*Notio et divisio:* Vidimus, quinque esse fontes, ex quibus omnes nostras cognitiones haurimus. Iam vero patet, fontem qui omnes alios quodammodo in se complectitur eosque supponit, esse ideas nostras easque primitivas. Id enim quod primo in mente nostra efficitur, est simplex apprehensio, cuius terminus est idea primitiva (cfr. dial. p. 15 sq.) Ideae autem factitiae, ex primitivis formatae, earum valorem supponunt ab eis prorsus dependent. Unde quaestio de veritate materiali cognitionis nostrae potissimum pendet ex valore *idearum* primitivarum. Jure igitur dicit s. Augustinus: „Tanta vis in ideis constituitur, ut nisi his intellectis nemo sapiens esse possit.“<sup>1)</sup> De quo ut constet, expedire videtur, ut inquiramus: I. quae sit *origo* illarum idearum, II. quae sit earum *natura*, III. quod earum sit *obiectum*. — Notandum est, non agi de ideis subiective spectatis, in quantum sunt affectio mentis, neque de specie intelligibili impressa sive expressa; sed agitur de ideis primitivis *obiective* spectatis, in quantum obiectum reale a nobis distinctum exprimunt. Quod cum thes. II et XVII in genere sit probatum, nunc in specie est exponendum.

### Liber primus: Origo idearum.

*Praenotio:* Triplici modo *per se* origo idearum explicari posset: 1<sup>o</sup> ita ut mere *ab extra* in nobis efficerentur; 2<sup>o</sup> ita ut prorsus *ab intra* in nobis orirentur; 3<sup>o</sup> ita ut *simul ab extra et ab intra*, i. e. simul ab obiecto et ab animae nostrae virtute producerentur. Et revera fuerunt et sunt philosophi, qui ideas nostras a causa nobis mere extranea derivent et quidem a) vel prorsus ab experientia sensuum, ut earum certitudo habeatur; b) vel ab institutione sive humana, sive divina, ut earum obiectivitatem salvent; c) vel ab intuitionem divinae naturae, ut earum necessitas et universalitas explicetur. Alii vero ideas vel omnes vel praecipuas repetebant ab animae nostrae virtute et quidem ita, ut a) vel ideas innatas statuerent; vel b) animae solius activitati tribuerent. Alii tandem — et est vera sententia, quam defendimus cum philosophia Aristotelica et

<sup>1)</sup> De 83 quaest. qu. 46.

Scholastica — statuunt, ideas primitivas oriri simul ex obiecti determinatione et animae nostrae facultate cognoscendi. Priores igitur sententiae sunt refutandae.<sup>1)</sup>

**Caput I: Ideae primitivae non oriuntur ex causa nobis prorsus extrinseca.**

§ 1. De Empirismo.

*Systemata Empirismi:* Qui ideas nostras ex experientia sola derivant, in diversas abeunt sententias, quarum tres potissimum considerandae sunt:

1<sup>o</sup> *Materialistae* veteres et recentiores, qui praeter materiam eiusque vires nihil admittentes et sensationem et cogitationem ad motum materiae reducunt. Ita iam veteres atomistae: Democritus, Leucippus (saec. V a Chr.), Epicurus (saec. IV a Chr.), Lucretius Carus († 52 a. Chr.) eorumque discipuli, qui imagines rerum materiales (εἰδωλα) a corporibus effluere (ἀπορροαί), organa penetrare et usque ad animam atomis subtilissimis constantem pervenire docebant; animam imagines illas recipientem prorsus passive se habere neque directe percipere nisi imagines illas materiales, non ipsa corpora. Similiter materialistae recentiores: Helvetius, de La Mettrie, Holbach (*Système de la nature*), Diderot, d'Alembert, Cabanis, Lamarck, Gall, necnon Feuerbach († 1872), Moleschott († 1893 Romae), Büchner († 1899), Vogt († 1895), Czolbe († 1873) etc. omnem cognitionem motum quendam vel secretionem cerebri esse arbitrantur.

Nostro tempore speciem quandam materialismi subiectivi docuit *Avenarius* († 1896)<sup>2)</sup> eiusque schola; statuit enim „empiriocriticismum“, nil admittens nisi puram experientiam internam. Experientia autem eo habetur, quod cerebra (System C) existunt continuo motu circa centrum quoddam aequilibrum praedita, et res externae (System R), quae aequilibrium illud in fluxu suo turbare nituntur; hoc modo oritur cognitio, quae igitur non est quidem identica motibus cerebri, sed eius functio et ab eo necessario dependens. Deberent igitur facta conscientiae et leges logicae necnon associationis nobis optime et immediate cognitae per motus nervorum eorumque causalitatem nobis neque per conscientiam neque per physiologiam cognita explicari, quod certe impossibile est.<sup>3)</sup> Avenario assentiunt Willy, Wahle, Mach alique.

*Nietzsche*<sup>4)</sup> († 1900) primum admirans Schopenhauer, deinde materialismum propagavit in forma naturalismi quoad vitam humanam, docens nil verum

1) Cfr. de tota hac quaestione Philos. Jahrbuch, 1888 Kaderavek: „Vom Ursprung unserer Begriffe.“ 2) Eius scripta praecipua: Philosophie als Denken der Welt, nach dem Princip des kleinsten Kraftmaasses, 1876; Kritik der reinen Erfahrung 1890; Der menschliche Weltbegriff, 1891. Folium periodicum: Vierteljahrsschrift für wissenschaftl. Philosophie. 3) Cfr. Wundt, Philos. Studien XIII, 1897. Überweg-Heinze, IV, p. 245. 4) Scripta praecipua: Menschliches, Allzumenschliches, 1880; Also sprach Zarathustra 1884; Jenseits von Gut und Böse 1886; Der Antichrist; Der Wille zur Macht (Umwertung aller Werte) (opus postumum). Cfr. Alois Riehl, Fr. Nietzsche (Frommanns Klassiker VI).

esse, nisi quod vitam promoveat, nihil *bonum*, nisi quod potestatem conferat alios debiliores sibi subiciendi, ut nova species humana inde oriatur (supra-homo, der Herrenmensch), independens ab omni lege morali, despiciens omnem virtutem christianam, praesertim humilitatem et compassionem cum miseris et afflictis (hominibus gregariis — Herdenmenschen); eos potius interitui esse devovendos. („Die Schwachen und Missratenen sollen zu Grunde gehen, und man soll ihnen noch dazu helfen. Was ist schädlicher als irgend ein Laster? Das Mitleiden der Tat mit allen Missratenen und Schwachen.“) Docet aeternum rerum omnium reditum. Ex anno 1889 usque ad mortem anno 1900 insanabili erat affectus, quod forte eius insanam explicat philosophiam.

Tandem *E. Haeckel*, natus 1834, adhuc professor Jenensis *Zoologiae*, praecipuus theoriae Darwinianae in Germania admirator et defensor, philosophiae quoque operam dedit, docens monismum materiale. Non existit nisi substantia infinita mundi, quae duo habet attributa fundamentalia semper unita: materiam extensam et energiam sive perceptionem (irritationem). Comprehenduntur lege substantiae, quae est in constantia et unitate materiae et energiae. Omnia igitur sunt animata certo quodam gradu, ita ut attractio chimica sit gradus fundamentalis vitae (beseelte Atome sive Atomseelen); quare ipse Haeckel suum systema vocat etiam hylozoismum et cum sententia Spinozae comparat. Ex materia mundi per generationem aequivocam vita organica et deinde per descendentiam res omnes viventes — etiam homines — ortae sunt mediante selectione naturali (sine causa finali) et hereditate per generationem. Non est differentia essentialis inter sensationem et cognitionem intellectus, utraque cognitio est processus physiologicus cerebri (Phronetalzellen); neque sunt veritates nisi a posteriori i. e. per experientiam acquisitae et per hereditatem ad posterum transmissae, ne mathematicis quidem exceptis. Leges morales ortae sunt ex moribus hominum ac proinde cum ipsis mutantur. Mores autem paulatim sunt orti ex instinctibus brutorum ac proinde sicut in brutis, ita etiam in hominibus nulla est libera voluntatis determinatio. Non est malum nisi aliis nocere. Licet infantes, praesertim infirmes, occidere (veneno), similiter homines mente captos, siquidem in illis stadiis vitae non habent spiritum. Item licet sibi ipsi mortem inferre et aegrotos, omni ipse vitae destitutos, vita privare. Deus personalis non existit; hoc nomine summa rerum mundi vel etiam aether universum replens appellari potest. — Non est mirum, quod Haeckel religioni christianae, praesertim catholicae, sit infensissimus. A philosophis tamen, etiam religioni nullo modo deditis, Haeckelii sententiae vel potius phantasiae prorsus reiciuntur tanquam ineptae et verae scientiae repugnantes<sup>2)</sup>

1) Scripta praecipua: Natürliche Schöpfungsgeschichte 1868; 1898<sup>2)</sup>; Monismus als Band zwischen Religion und Wissenschaft, 1900<sup>10)</sup>. Welträtsel 1902<sup>8)</sup>; Volksausgabe 1904 in 140000 (!) Exempl.; 10 versiones in linguas alienas; Die Lebenswunder, 1904<sup>2)</sup>, in quo libro totam suam exponit doctrinam.

2) Cfr. Paulsen, philosophia militans 1901: E. Haeckel als Philosoph.; Loofs, Anti-Haeckel, 1902<sup>2)</sup>; Michelitsch, Haeckelismus und Darwinismus, 1900; Dennert, Die Wahrheit über E. Haeckel u. s. Welträtsel, 1905, alique multi.

2<sup>o</sup> *Sensistae* confundunt ideas cum sensatione, vel essentialiter ab ea differre non admittunt. Iam antiquitus Empedocles et Protagoras sensismum profitebantur. Maxime vero *Locke*<sup>1)</sup> († 1704), post *Baco* († 1621) et *Hobbes* († 1679), ideas innatas Cartesii oppugnans, experientiam externam (sensationem) et internam (reflexionem) statuens, per illam putat nos *simplices ideas* acquirere, ita tamen ut anima mere passive se habeat; per hanc autem, quam intellectum vocat, ex simplicibus illis ideis nos primo *compositas* efficere: ideas modorum, substantiarum, relationum; deinde *universales*. Ideas simplices semper esse veras, i. e. reales; compositas quoque in genere veras esse; sed substantiam et causam non esse nisi complexum phaenomenorum semper coniunctorum, quin sciamus, quid his conceptibus subsit; ideas universales autem non esse reales, sed mera mentis figmenta, quorum signum sit verbum. *Locke* non negat, immo affirmat Dei existentiam et animae spiritualitatem et immortalitatem; putat tamen, has veritates non posse certo probari; materiam saltem a Deo facultatem cogitandi recipere posse.

Sensismum *Locke*i plures amplexati sunt, qui inde speciem aliquam materialismi vel hylozoismi vel etiam psychologiam associationis deduxerunt negantes omnem cognitionem metaphysicam, ut *Hartley*, *Priestley*, *E. Darwin*, *Joh. Toland*, *Bolingbroke* alique (Überweg-Heinze, IV, 168 sq.).

*Berkeley*<sup>2)</sup>, episcopus anglicanus Cloynensis (Irland), † 1753, innixus doctrina *Locke*i, nostras ideas non esse nisi sensationes transformatas, inde deduxit, neque extensionem corporum i. e. sensibilia communia obiectiva existere, siquidem eodem modo ac propria percipiuntur, quae *Locke* mere subiectiva habet; neque ideis nostris universalibus e. g. conceptui trianguli quidquam a parte rei respondere (Nominalismus). Negat igitur mundum materiale existere, esse enim in sola perceptione nostra: esse est percipi (Idealismus acosmisticus). Produci autem in nobis hanc perceptionem a Deo. Non igitur existit nisi mundus spirituum, neque habemus ideas nisi animae nostrae aliorumque spirituum. Deum existere simili modo ex mundi ordine concludi, quemadmodum ex corporibus hominum et motibus eorum anima concludatur.

*Hume*<sup>3)</sup> (1711—1776), in Scotia natus, cum *Locke* et *Berkeley* affirmat, nos non cognoscere nisi affectiones (impressions) subiectivas organorum nostrorum, ita ut ideae sint earum imagines. Non igitur quidquam a nobis cognosci potest, quod transcendit sensationem, si quidem impressionem organicam efficere nequeat. Deinde nulla est certitudo, ideis nostris a parte rei quidquam respondere: non ideis corporum, ut iam *Berkeley* ostendit;

<sup>1)</sup> Essay concerning human understanding, London, 1690; übersetzt von Siegert 1900<sup>2</sup> (Philos. Bibliothek v. Kirchmann). Confer quae Stöckl, Gesch. der Philos. et Lehrb. d. Philos.<sup>7</sup> I, 339 de omnibus illis systematibus clare exponit; porro Pesch, Instit. log. III, p. 404 sq.; v. Hertling, Joh. Locke und die Schule von Cambridge, Herder 1892; Geysler, Das philos. Gottesproblem, p. 97, 269 sq.

<sup>2)</sup> Scripta praecipua: Treatise on the principles of human knowledge 1710; Three dialogues between Hylas et Philonous, 1713.

<sup>3)</sup> Scripta praecipua: Treatise on human nature, 3 vol. 1740; Enquiry concerning human understanding 1748.

porro quia principium causalitatis non constat: non a priori, quia conceptus effectus ex causa derivari nequit; neque a posteriori, quia relationem inter causam et effectum non apprehendimus, sed solam successionem. Sed neque constat de substantialitate animae nostrae, si quidem conscientia non refert nisi actus sibi succedentes. Anima igitur substantialis spiritualis, simplex probari nequit, sed est summa perceptionum<sup>1)</sup> inter se connexarum. Necessitas autem illa, quam experimur adhibentes principium causalitatis, est solum subiectiva, orta ex perceptione pluries repetita et constanti idearum associatione ratione contiguitatis (spatii et temporis) vel similitudinis (et dissimilitudinis). Minime igitur repugnat, res alio modo agere, quam nobis apparent, et leges naturae alias fieri. Quicquid enim a nobis repraesentari (phantasiâ) potest, in se possibile est. („Wenn wir die Sache a priori betrachten, kann Beliebiges Beliebiges hervorbringen . . . sic putat, cogitationem posse ex motu oriri. — Wenn wir glauben, dass Feuer erwärmt und Wasser erfrischt, so tun wir dies nur, weil es uns zu viel Mühe macht, anders zu denken.“)<sup>2)</sup> — Admittit tamen veritates necessarias mathematicas, licet in eius systemate explicari nequeant<sup>3)</sup>. Negat Dei existentiam probari posse, sed fide (belief-probabilitas) esse tenendam, sicut etiam existentiam mundi visibilis, ut possimus vitam degere socialem et religiosam. — Hominis voluntatem non esse liberam; etiam bestias cogitare, si quidem finem habeant operandi. Honestatem actionum humanarum esse in quadam experientia (Gefühl: Lust und Unlust) utilitatis pro salute aliorum et nostra. — *Hume* sequitur praecipue *Adam Smith*; eius doctrina multum contulit ad criticismum Kantianum et positivum recentiorum. Eam oppugnabant praesertim schola scotica: *Reid*, *Beattie*, *Stewart*, *Th. Brown* alique.

Sensismum a *Locke* propositum in Gallia restauravit *Condillac*<sup>4)</sup> († 1780) reiciens sensum internum *Locke*i omnesque cognitiones ex sensatione externa explicans, quae, anima mere passive se habente, se ipsam in iudicium et ratiocinium transformaret. Non negat, immo probare conatur animae spiritualitatem, neque Dei existentiam reicit, sed animam peccato originali infectam cognitione superiore privatam esse. Qui vero eius sententiam amplectebantur, eo progressi sunt, ut omnes veritates sensibus impervias negarent.

His plerique et philosophi et physici nostri temporis consentiunt, ideam confundentes cum imagine communi (Gemeinbild) phantasiae ut *Herbartiani* ideam in mutua pugna elementorum dissimilium, sive in attractione elementorum similium collocantes. Alii ut *Wundt*<sup>5)</sup> non satis distinguentes inter conceptus *primitivos* („empirische Begriffe“) et imaginem phantasiae sive repraesentationem sensitivam, conceptus illos non nisi res singulares exprimere affirmant (Denken ist Phantasieren in Begriffen, und Phantasieren ist Denken in Bildern).

<sup>1)</sup> Cfr. Treatise übersetzt v. Th. Lipps 1904<sup>2</sup>, I, p. 337. <sup>2)</sup> l. c. p. 321, 348; lege notas quas Lipps addit optimas quoad errorem fundamentalem idealisticum *Hume*i p. 5, 9, 312 etc. <sup>3)</sup> Cfr. Überweg-Heinze III<sup>9</sup>, 256 notae. <sup>4)</sup> Essai sur l'origine des connaissances humaines. Amsterdam 1746; Traité des sensations, Paris 1754; übersetzt Berlin 1870. <sup>5)</sup> System d. Philos.<sup>2</sup> p. 208 sq.; Cfr. Gutberlet, Psychol. 1890<sup>2</sup>, p. 125. Eisler, Philos. Wörterbuch, Art. Begriff.

Hermes vero intellectum censet sensationes per categorias innatas cogitare et Günther Viennensis, intellectum sensationes sub ratione communi cogitare. Exprobrant scholasticis, quod principium causalitatis rationis non adhibentes<sup>1)</sup> non ad realem veritatem pervenerint.

3<sup>o</sup> *Positivistae*, qui duce *Comte* († 1857)<sup>2)</sup> veritates sensus superantes non quidem negant, sed nobis impervias ac proinde negligendas esse docent. *Comte* censet, fontem unicum cognitionis esse experientiam sensuum ope experimenti et inductionis; rationem substantiae, causae, finis nos non percipere neque inquirendam esse, sed solum phaenomena eorumque leges; cetera omnia, praesertim scientiam metaphysicam, esse mera mentis figmenta inania. Homines, legi evolutionis subiectos, initio evolutionis mentis humanae phaenomena ex causa supernaturali (methodus theologica: Fetichismus-Polytheismus-Monothaeismus), deinde a saeculo XVI magis progressos ex causa metaphysica (methodus metaphysica), tandem ex factis sive legibus positivis (methodus positiva) explicasse; et hanc methodum positivistarum solam esse scientificam et veram. Religionem veram esse cultum humanitatis, praesertim virorum praeclarorum; vitam moralem consistere in amore proximi.

*John Stuart Mill*,<sup>3)</sup> (1806—1873), filius *James Mill* philosophi, magno ingenio praeditus, negotiis publicis bene perfunctis, philosophiae totum se dedit. Sequens vestigia *Humei* statuit, nos non percipere nisi affectiones conscientiae nostrae illasque perceptiones secundum leges associationis inter se copulari. Propterea non possumus esse certi sive de rebus externis sive de substantialitate propriae animae, sed adest sola certitudo de *possibilitate* perceptionis (permanent possibilities of sensation) certarum rerum, quas iam cognovimus, sive de *possibilitate* affectionis subiectivae (permanent possibility of feeling), quam iam experti sumus, iterum habendae, quamvis concedat (ut etiam *Hume*) non posse concipi, quomodo series quaedam perceptionum conscientiam unius „Ego“ sibi identici efficere possit. Reiciens cognitionem rerum, quae experientiam transcendunt, sola inductione scientiam — etiam mathematicam — acquirendam esse putat, unde methodos inductionis diligenter exponit. Concedit autem, inductioni debere supponi postulatam constantiae legum naturae et causalitatis, ut possit coniungi cum deductione; has autem veritates iterum haberi ex inductione, unde sibi ipsi contradicit. — Actionum nostrarum honestatem cum *Bentham* putat dependere ab earum utilitate, sed in quantum conscientia cuique eam plus vel minus perfectam indicat, quae quidem principia (utilitas-conscientia) non sunt inter se consentanea. Deum quidem non negat, sed malis mundi consideratis eum non putat esse omnipotentem, unde hominis virtutem maximam in eo esse, ut Deo quasi cooperetur ad materiam mundi eiusque imperfectiones superandas; summa religionis ipsi cum *Comte* videtur esse amor humanitatis.

Multi philosophi, in Anglia praesertim, *St. Mill* sequuntur, licet in nonnullis quaestionibus ab eo recedant, ut *Alex. Bain*, *Fowler*, *Shute*, *John Venn*,

<sup>1)</sup> Cfr. *Kleutgen*, *Philos. der Vorzeit*, I, num. 81 et 83. <sup>2)</sup> *Cours de philosophie positive* 1830—1842, 6 vol. Cfr. *Gruber*, *August Comte, der Begründer des Positivismus*, 1889. <sup>3)</sup> *Scripta: A System of Logic*, 2 vol. 1843. *Utilitarianism* 1863; *Examinative of Sir William Hamiltons-Philosophy* 1865. Cfr. *Saenger*, *St. Mill* (*Frommanns Klassiker XIV*).

*Robertson*, *Sidgwick*, qui tamen ordinem moralem per intuitionem nobis cognitum supponit ad bona honesta diiudicanda.

*Herbert Spencer*<sup>1)</sup> (1820—1903), licet ad vitam necessaria suis negotiis aegre compararet, vires tamen omnes studio philosophiae consecravit.

Docet philosophiae esse, omnes scientias ad unitatem cognitionis deducere. Nostra rerum cognitio omnis est relativa. Rerum actualis existentia est earum permanentia in conscientia nostra. Conscientia nostra non continet nisi subiectivas affectiones earum (feelings). Relativum autem supponit necessario aliquod absolutum. Absolutum vero ut tale a nobis cognosci nequit et est potissimum obiectum fidei et religionis. (Agnosticismus). Conceptus fundamentales, quibus rerum multitudinem apprehendimus, sunt spatium, tempus, materia, vis, motus; principia suprema, secundum quae omnia fiunt, sunt lex constantiae materiae et virium et lex evolutionis. Quidquid igitur est vel fit, ex materia certo modo transformata efficitur secundum legem evolutionis. Evolutio autem consistit in quadam *integratione* i. e. concretionem et differentiationem materiae simul cum dispersione energiae, et *desintegratione* i. e. in dispersione materiae et absorptione energiae. Hoc modo mundus anorganicus ex nebula mundiali ortus est, hoc modo res organicae ex cellulis primis evolvuntur; hoc modo vita spiritualis in homine oritur ex instinctu brutorum; societas ex familiis, moralitas ex actionibus utilibus, religio ex timore mortuorum, fides immortalitatis ex perceptione umbrae, echo etc.; fides deorum ex vita mortuorum continuata. Conceptus autem et principia, quibus res cognoscimus, immo et leges morales decursu evolutionis generis humani sunt acquisita; quare per se sunt a posteriori, pro nobis autem a priori, neque quidquam potest admitti, quod sit incomprehensibile. Intellectui humano aliqua substantia spiritualis subest nobis incognita, cuius etiam materia est apparentia. (Cfr. *Revue Néo-Scholastique* 1905 n. 3 suppl. p. 125 sq.)

Doctrinam *Spenceri* multi sequuntur in Anglia, licet in nonnullis ab eo discrepent; praesertim vero principium evolutionis a multis statuitur sive ad res organicas, sive ad cognitionem, religionem, moralitatem, linguam humanam explicandam: sic *Charles Darwin*, *Aug. Weismann*, *Huxley*, *J. Tyndall*, *Clifford*, *Romanes*, *Galton*, *Lubbock*, *Tylor*, *Grant Allen*, *S. Alexander*. — Quarum sententias, praesertim quoad religionem, oppugnant: *Martineau*, *Upton*, *Carpenter*, *Flint*, *Newman*, *Cobbe*, *Max Müller*<sup>2)</sup>.

Etiam in aliis nationibus similes sententias positivisticas plerique et philosophi et praesertim physici nostri temporis amplectebantur, ut *Littre*, *Taine*, *Ribot*, *Cantaneo*, *Ardigo*, *Labriola*, *Ferrari*, *Laas*, *Riemann*, *Riehl*, *Mach*, *Ostwald*, *Dühring*, *Jodl*, *Du Bois-Reymond*, qui statuit septem aenigmata, quae „ignoramus et ignorabimus.“<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> *A System of Synthetic Philosophy* 10 vol. 1896. Cfr. *Gaupp*, *Herbert Spencer* (*Frommanns Klassiker V.*) <sup>2)</sup> Cfr. *Überweg-Heinze*, IV<sup>o</sup>, p. 449 sq. <sup>3)</sup> „Ueber die Grenzen des Naturerkennens“; „Die sieben Welträtsel, Leipzig“, 1884: Haec aenigmata sunt: 1) Quid sit materia et vis; 2) unde motus; 3) unde vita; 4) unde fines in mundo; 5) unde et quid sensatio; 6) unde et quid cogitatio et lingua; 7) quid libertas voluntatis; et addit: „Mögen sie es doch mit dem einzigen anderen Ausweg versuchen, dem des Supernaturalismus. Nur dass, wo Supernaturalismus anfängt, Wissenschaft aufhört“, p. 6. Oblitus est,

*Thesis I. Ideae primitivae non oriuntur ex sola experientia, sive omnis species Empirismi: Materialismus, Sensismus, Positivismus, est reiicienda.*

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Non negamus, sensationes esse aliquem fontem idearum, immo ostendimus, esse primum fontem, sed non unicum; neque negamus, sensationes praesertim phantasticas debere comitari cognitionem nostram intellectualem, ita ut actus intellectus semper coniunctus sit cum actu facultatis sensitivae; sed negamus, sensationem non essentialiter differre ab idea intellectus vel in eam posse transformari sine ulla mentis propria actione.

2<sup>o</sup> Non opus videtur refutare Materialistas cogitationes ad motum vel secretionem cerebri reducentes; nam hoc modo ne sensatio quidem explicari potest, nedum cogitatio. Adsunt quidem in omni sensatione motus cerebri, sed hi nullo modo sunt obiectum cognitionis nostrae, teste conscientia. Certe, si cogitatio sive sensatio essent quidam cerebri motus, deberent habere proprietates motus eiusque sequi leges; possent igitur mensurari e. g. metro; deberent habere directionem localem, sicut omnis motus e. g. ad dexteram, sinistram, quandam celeritatem etc. Si vero essent secretio materialis cerebri, deberent habere quoddam pondus, colorem, odorem etc., sicut omnis materia, quae tamen absurda esse omnes hodie facile consentiunt. Idem fere dicendum est de Empiriocriticismo Avenarii, qui phaenomena psychica tandem reducit ad motus quosdam cerebri nobis prorsus incognitos.<sup>1)</sup> Unde potius cum sensistis et positivis nobis est disputandum.

*Prob. 1. Ex comprehensione idearum:* Ideae nostrae exprimunt rerum essentias. *Atqui* sensatio non attingit rerum essentias.<sup>2)</sup> *Ergo* ideae nostrae ex sensatione sola explicari nequeunt.

*Prob. mai.:* a) *Ex natura idearum:* Ideae nostrae per se et primo non exhibent rerum qualitates sensibiles vel mera phaenomena externa, sed id quod illis qualitatibus et phaenomenis subest eorumque subiectum est et causa, i. e. rationem substantiae, potentiae, vitae, causae, veri, boni, pulchri etc. Et certe, conceptus

homines de scientiis naturalibus optime meritos religioni christianaе valde fuisse deditos, ut Copernicus, Kepller, Newton, Linné, Leibnitz, Lavoisier, Volta, Cuvier, Ampère, Barrande, Cauchy, Liebig, Gauss, Pasteur, Leverrier, Euler, Maxwell, aliosque multos. — De philosophis supra nominatis lege Überweg-Heinze, 1902<sup>9</sup>, t. IV; porro Baumann, Deutsche u. auserdeutsche Philosophie, 1903. O. Külpe, Die Philosophie d. Gegenwart in Deutschland, 1902 (Aus Natur- und Geisteswelt, B. 41). L. Busse, Die Weltanschauungen der grossen Philosophen d. Neuzeit ibid., B. 56, 1904.

<sup>1)</sup> Cfr. Wundt, Philosophische Studien, tom. XIII, 1896. <sup>2)</sup> Aristoteles, Anal. post. I, 31; Metaph. I, 1. (Edit. Acad. Boruss. latina, 1831).

hominis, arboris, lapidis nil exprimit extensionis cuiusdam sive coloris, i. e. nihil eorum, quae sensus percipiunt, et si conceptus nostri qualitates sensibiles exprimunt, prorsus alio modo sc. abstracto et universali repraesentant e. g. lucem. Unde igitur illi conceptus? *Atqui* id quod qualitatibus sensibilibus subest, est rerum essentia. *Ergo* ideae exhibent rerum essentiam.

b) *Ex ideis rerum immaterialium:* Constat, nos habere ideas rerum immaterialium, invisibilium, non existentium, possibilium, immo et impossibilium et quidem tum substantiarum tum accidentium formatas ex ideis primitivis, e. g. ideam Dei, spiritus etc. *Atqui* si ideae nostrae non exhiberent nisi qualitates seu phaenomena sensibilia, non possent eiusmodi formari conceptus; nam intellectus conceptus formare non potest nisi ex elementis ipsi aliunde exhibitis. *Ergo* ideae nostrae primitivae exhibent rerum essentias.

c) *Ex rerum distinctione:* Constat, nos distinguere inter proprietates rerum essentielles et accidentales; illas semper adesse debere iudicamus, has vero posse deficere, etiamsi eas semper adesse videamus; sic magnitudinem solis nobis apparentem, quamvis eandem semper percipiamus, non essentialem arbitramur, sed aliam per se esse posse iudicamus; neque hanc vel illam magnitudinem, hunc vel illum colorem homini, arbori, lapidi necessarium esse dicimus. Veritates autem mathematicas de triangulo, quadrato, circulo, functiones trigonometricas etc. semper adesse iudicamus, quamvis figurae mutantur visibiles. Bonitas moralis et honestas rerum sive actionum eadem semper et necessaria, immutabilisque habetur, licet res vel actio nunc bene, nunc male sensus afficiat. *Atqui* si ideis nostris primitivis rerum essentiam non perciperemus, distinctio illa inter rerum proprietates essentielles et accidentales esset vana. *Ergo* ideae per se rerum essentiam exprimunt.

d) *Ex modo praedicandi:* Constat, nos iudicando per ideas nostras identitatem subiecti et praedicati affirmare. *Atqui* si ideae nostrae, ut sensistae volunt, non continent nisi complexum qualitatuum sensibilibus, iudicia nostra essent absurda. Quis enim unquam dixerit, hominem, arborem esse complexum quendam extensionis, coloris, odoris etc.? Sed affirmamus esse substantias organicas etc., quas sensus per se non percipiunt. *Ergo* ideae exprimunt rerum essentias.

*Prob. min.:* a) Sensatio teste conscientia non exhibet nisi qualitates sensibiles: colores, sonos, quantitatem, coexistentiam in spatio, successionem in tempore. *Atqui* rerum essentiae non consistunt in qualitatibus, nedum sensibilibus, sed sunt subiectum et causa eorum sensibus impervia. Et certe, quomodo sensus rationem causae et effectus, medii et finis, substantiae et accidentis apprehenderent, quae tamen obiecta sunt fundamentum scientiae humanae? *Ergo* . . .

b) Sensatio exhibet qualitates inter se diversas easque sensibus mediisque obiective diversis e. g. colorem, odorem, duritiem, pondus, magnitudinem pomi. *Atqui* essentia rerum, subiectum et causa illarum qualitatum, non potest esse nisi una sibi que identica. *Ergo*...

c) Sensus non referunt nisi quod existit et organa physice determinat. *Atqui* essentia rerum, quae est obiectum conceptus, abstrahit ab eius existentia, et etiamsi concipimus res existentes, earum essentia nullo modo sensus determinat. Et certe, quomodo conceptus rerum spiritualium vel mere possibilium, functionum trigonometricarum etc. ex sensuum determinatione haberi possent? *Ergo*...

d) Si sensus rerum naturam referre possent, non esset ratio, cur non etiam bestiae haberent scientiam, si quidem saepe meliores sensus habent quam homines. Scientia autem est, teste Aristotele, de rerum natura et causa. *Atqui* constat, bestias non habere scientiam. *Ergo* sensus rerum naturam apprehendere non possunt.

Neque cum *Locke* dici potest, per reflexionem mentis ex sensationibus formari ideas; nam a) reflexio supponit actum directum et quidem in eadem facultate, neque quod in eo non iam latet, percipere potest. Si igitur ideae primitivae non iam expriment rationem fundamentalem substantiae, causae etc., reflexio eas formare non posset. b) Reflexio non immutat naturam obiecti cogniti. *Atqui* obiectum per sensus cognitum non est nisi qualitas sensibilis. *Ergo* ex sensatione sola rerum essentia nunquam cognoscitur. c) Tunc intellectus deberet sensationes ipsas percipere, quod impossibile est. d) Non posset eas immutare, nisi adhibitis quibusdam ideis et principiis (identitatis, contradictionis, causalitatis etc.), unde iam *supponit* ideas formatas, quas deberet explicare.

Neque *Condillac* explicare valet, quomodo sensationes se ipsas, nulla mentis vi abstractiva supposita, transformare possint, ut inde ideae abstractae, spirituales simplices, deinde iudicia, ratiocinia formentur; nam a) repugnat sensationem materialem ex se fieri immaterialem; b) constat per conscientiam, sensationes sibi identicas in nobis permanere *simul cum ideis*, quas intellectus inde formavit.

Tandem Empirismus ille, quem *Comte* alique multo profitentur, vel sensu strictiore vel latiore accipitur. Si primum, docet, nostram cognitionem non esse nisi sensitivam et recidit in Sensismum *Locke* vel *Condillac*; sin alterum, praeter sensationem debet ideas quasdam universales et principia generalia: rationis sufficientis, causalitatis legesque logicas supponere, ut possit inductionem instituere; quare vel sibi ipsi repugnat, vel alium fontem praeter sensationem debet admittere.<sup>1)</sup>

2. *Ex extensione idearum*: Constat ideas nostras esse universales et abstractas. *Atqui* nulla sensatio est vel potest esse *universalis* et *abstracta*. *Ergo* ideae non possunt oriri ex sola sensatione.

*Prob. maior. per partes*: A. *Idea nostrae sunt universales*: a) *Ex natura conceptuum*: Conceptus seu ideae per se non exhibent nisi

<sup>1)</sup> Cfr. Mercier, Critériol. p. 224 sq.

rerum essentiam, ut supra ostendimus. *Atqui* rerum essentia saltem metaphysica, quae est obiectum proprium idearum, eadem est in omnibus individuis eiusdem speciei neque immutatur; immo necessaria est, ut res sit potius haec res quam alia. *Ergo* ideae sunt ex se universales.

b) *Ex modo praedicandi*: Constat, ideam quamcunque, e. g. hominis, trianguli, *ex se* non hominem sive triangulum individuum significare, sed de quocunque homine sive existente sive possibili, sive magno sive parvo, sive Europaeo, sive Africano praedicari posse et quidem prorsus eodem modo; idem dic de triangulo quoad diversas species et individua trianguli. *Atqui* haec praedicatio certe falsa esset, nisi idea esset universalis, i. e. nisi haberet valorem universalem. *Ergo* ideae ex se sunt universales.

c) *Ex principiis universalibus*: Constat nos cognoscere principia universalis: causalitatis, contradictionis, leges cogitandi, leges morales; porro constat esse veritates prorsus universales, immutabiles, aeternas, necessarias, ut sunt veritates mathematicae. *Atqui* veritates universales non possunt esse sine ideis universalibus, ex quibus fluunt; neque enim, ut mox dicemus, ex factis experientiae individuis, qua talibus, derivari possunt. *Ergo* ideae sunt universales.

*Prob. minor.*: a) *Ex natura sensationis*: Sensus non possunt referre obiecta, nisi quae eos physice determinant neque alio modo ac determinati sunt ad percipiendum; sunt enim ex se indifferentes ad percipiendum. *Atqui* obiecta physice sensus determinantia debent *existere* ac proinde sunt individua, concreta, contingentia, peritura, mutabilia. *Ergo* nulla sensatio potest esse universalis.

b) *Ex conscientia*: *Conscientia* testatur, omnes sensuum repraesentationes esse concretas et individuales: certus color determinatus quoad intensitatem et extensionem; quantitas plus minus extensa, certo modo configurata.

Neve obicias, ex sensationibus posse *concludi* causam earum universalem, essentialem; nam 1<sup>o</sup> ad hoc concludendum requiretur saltem principium causalitatis, quod, ut supra exposuimus, iam supponit ideas universales. 2<sup>o</sup> Etiam posito principio causalitatis, ex phaenomenis mere sensibilibus, individuis, mutabilibus, perituris per se non posset concludi, subesse causam universalem, necessariam, neque ideae universales formari possent, sed ad summum idea similitudinis, ut in conceptibus extrinsece analogis; nulla igitur fieri posset praedicatio per identitatem.

B. *Idea nostrae sunt abstractae*: a) *Ex conceptu abstractionis*: Abstractio in eo est, ut una nota sine altera cum ipsa in obiecto coniuncta percipiatur. *Atqui* ideae nostrae notas essentielles vel accidentales in ipsis rebus sive physice sive metaphysice coniunctas unam sine altera expriment. Et haec abstractio est *physica*, si ideae exhibent rerum qualitates physicas e. g. colorem, duritiem unam sine altera, abstrahentes etiam ab earum subiecto materiali, ab existentia et modo individuo existendi (intensitate certa), sicut fit in